

geli Politiani versione, cuius locum etsi longiusculum non piget exscribere. *Et quando secus processerant latentes insidia, necessarium putabat (Caracalla) periculo omni, ac spe posthabita, quovis modo inceptum patrare. Quare irrupto fratris cubiculo, nihil tale eum expectantem supra matris pectus multo undantem sanguine seruus obruncat. Quo facto exilit statim, ac per totam regiam currens clamitat, magnum se effugisse periculum, vixque evasisse incolumem: simul imperat militibus regie custodibus, raperent illico se, atq: in castra perducerent, ubi tutius asseruacitur, periturum dictitans, si diutius moram in adibus trahat. Illi pro veris ea accipientes, simul ignari, quæ intus gesta erant, currentem eum currentes, & ipsi comitantur. Fit ingens populi tumultus raptim agente se sub vesperam Principe mediam per Urbem. Ut autem castra attingit, adiculamq: eam, intra quam Signa, & Simulacra exercitus adorantur, procidens humi gratias agebat, votis quasi pro salute susceptis: Ea res militibus nunciata partim iam levantibus, partim requiescentibus: statim illuc omnes exterriti feruntur. Ille progressus in medium, non quidem continuo rem ipsam, prout gesta erat, fatebatur, sed effugisse periculum clamitabat, insidiasq: inimici hominis, atq: hostis, nam ita fratrem appellabat: vixq: tandem post longum certamen adversarios superatos: quippe utrisque periclitantibus, se postremo unicum Imperatorem Fortuna relictum dono: talia quedam obliquans, atq: involvens, intelligi, quæ fecisset, quam audiri malebat. Tum pro salute, imperioque suo singulis militibus Atticarum drachmarum duo millia supra quingentas pollicetur: prætereaq: annona, supra quam sucti accipere, dimidium. Subot item jam tum ex Templis, thesaurisq: pecuniam sumere, largiter effusis uno die, quæcumq: per duodeviginti annos Severus collegerat, atq: recondiderat alienis calamitatibus: At milites tantâ pecunie magnitudine illecti, totoque jam negotio intellecto, vulgatâ passim cæde per eos, qui adibus aufugerant, unum illum declarant Imperatorem, Getâ HOSTE appellato. Narrat deinde Caracallam postero die in Senatu acerbâ oratione in Getam, quem semper hostem appellat, inectum: mox ita prosequitur. Continuo cæpti occidi domestici omnes fratris, atque amici, qui in adibus habitabant, quas ille incolerat, ministrique item universi, sic ut ne atati quidem infantium parceretur. Hæc quidem Fontaninus, non odio in fratrem perpetrasse Caracallam existimat, sed politicâ ratione, ut omnes facinoris confcios, ne rem proderent, e medio tolleret; Verum procedat id*